

1177

1994
A
1386





Freiherr v. Ende-Miljeswitz.

16.
DISPUTATIO DECIMASEXTA
COLLEGII PVBLICI,
DE SERVITVIBVS
PERSONALIBVS:
VSVFRVCTV, VSV ET
HABITATIONE.

Quam

Deo auxiliante,

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In florentissimo Agrippinensis Collegio Iuridico publicè
examinandam proponit*

PETRVS Gruter / Marcò Westph.

15. Iunij, Anno 1629.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

DISSELTATIO DECIMASEXTA
COLLEGII PAVLICI

DE SERVITVIBVS

PERSONALIBVS:

YVRETYV VSV ET
MORTVATIONE

QVINTA

DE SERVITVIBVS

PERSONALIBVS

QVINTA

DE PETRO OSTERMANNO, J. V. DOCTORE

DAVID WOLFF, J. V. DOCTORE

ET ALII

IN PAVLI COLLEGIUM

EXAMINATA

PETRO OSTERMANNO, J. V. DOCTORE

ET ALII

COLLEGIUM PAVLICUM

EXAMINATA

DE SERVITVIBVS PERSONALIBVS
QVINTA





CONTINUATIO.

Postquam tractatum est de Dominio & Vindicatione rerum corporalium, iusto ordine ita postulante tractandum de dominio rerum incorporalium, quo nempe pacto vindicari possunt iura & seruitutes: quæ cum diuidantur in personales & reales: priori loco de personalibus, tanquam dignioribus agendum est.

THESIS PRIMA.

Seruitus personalis est ius, quo res personæ seruit, *l. 3. in fin. ff. quib. mod. vsufr. amitt. l. vnus ex socijs in fine princ. ff. de seruitut. pred. rustic. cuius tres enumerantur species. I. Vusufructus, l. 26. ff. de stipulat. seruor. II. Vsus, l. 1. ff. de seruitut. III. Habitatio, Inst. de vsu & habit. à persona dominante sic dictæ, sicut reliquæ seruitutes, siue sint reales, siue rusticæ, siue urbanæ semper nomina à dominantibus sortiuntur.*

2. De Vusufructu initium faciendo cum Dd. docendi gratia non est omit-
tenda distinctio illa vsusufructus in Causalem & Formalem. Causalem vo-
cant quem dominus habet ex causa rei seu iure domini, *l. 21. §. si fundum. ff. de except. rei iud. l. 126 ff. de verb. obl. & est cum ipsa proprietate coniunctus, l. 4. ff. si vsufr. pet. VVesenb. paratit. ff. hic. n. 4. Schneidvv. ad princ. inst. eod. n. 4. Hunnius lib. 2. var. resol. tract. 2. quæst. 20. Diff. Hænon. disp. 5. ad inst. th. 15. qui proprie non dicitur seruitus, sed utilitas quædam, quæ prouenit & cau-
satur ab ipsa re & dominio eius *l. uti frui, 5. ff. si vsufr. pet. Gomez. tom. 2. var. resolut. cap. 1. n. 2.**

3. Formalis alter nominatur, quoniam est forma quædam vtendi fruendi à proprietate & dominio separata, *VWesenb. parat. ff. hic.* De quo hæc præsens est instituta disputatio.

4. Estque verus, vel quasi: Verus ad hunc modum definitur? Vusufructus est ius alienis rebus vtendi fruendi salua rerum substantia *princ. inst. l. 1. ff. h. t. Ioan. Del. Castillo in tract. de vsufr. cap. 4. vers. 5. qui tam latè patet, vt vsu & habitationem sub vlnis suis complectatur, l. 14. §. 1. ff. de vsu & habit. l. 7. ff. de vsufr. VWesenb. ad princ. Inst. hic.* In quibus tamen vsusufructus ab vsu & habitatione differat inferius tradetur.

5. Præmissa veri vsusfructus definitione discutiendum quibus modis & qualiter constituatur, quod diuersimodè contingit: vel enim constituitur à lege, vel ab homine, & hoc inter viuos vel vltimis voluntatibus.

6. A lege primum constituitur vsusfructus patri in bonis aduentitijs liberorum in patria potestate constitutorum, *l. 6. princ. Cod. de bonis qua lib. Bach. in notis ad Treut. volum. 2. disp. 10. th. 2. lit. C.* nisi tali adiecta conditione filio vsusfr. relictus sit ne ad patrem perueniat *Auth. Excipitur, C. de bon. qua lib.*

7. Deinde acquiritur patri vsusfructus in bonis liberorum emancipatorum pro parte dimidia & hoc præmium est emancipationis, quod pater sibi eo casu retinere potest, *d. l. 6. §. 3. C. de bonis qua lib. §. 2. Inst. per quas pers. nob. acquir.*

8. In feudo tamen non solum à principe vel virtute armorum, sed etiam aliunde si iofamilias acquisito patri non constituitur vsusfructus, sed filiusfam. illum sibi acquirit, *c. 1. §. final. in quibus causis feud. amitt.* quia alias contra naturam feudi filiusfam. ex illa concessione nihil consequeretur, nam feudum ita conceditur, vt proprietates penes concedentem, vsusfr. vero in accipientem transeat, *Ioan. Schoner. VValtersb. disp. feud. lib. 1. disp. 2. th. 57. Guilh. Forster. d. sp. 7. th. 5. Diss. Curt. iunior part. 3. tr. feud. n. 46. & seq.*

9. Denique coniugi superstiti ad secundas nuptias transeunti acquiritur, vsusfructus in bonis paternis ex successione prioris matrimonij illi ab intestato quæsitis, *l. 5. iunct. auth. vxore mortua, C. de secund. nupt. Nou. 98. c. 1.* etiam superstitibus ex priori matrimonio liberis, *l. 3. & auth. ex testamento, C. d. t.*

10. Inter viuos constituitur vsusfructus pactionibus & stipulationibus, *§. 1. Inst. hic. l. 3. l. 25. §. fin. ff. eod.* & longi temporis præscriptionibus, decem videlicet annorum inter præsentem, viginti inter absentes, *l. final. in fin. C. de præscript. long. temp.*

11. Per sententiam iudicis acquiritur vsusfructus, quando iudex in iudicio familiæ heriscundæ, vel communi diuidendo vni proprietatem, alteri vero eiusdem rei vsusfructum adiudicauerit, *l. 6. ff. h. t. Schneidvv. ad §. vsusfructus. Inst. eod.*

12. Vltimis voluntatibus constituitur vsusfructus legando vni proprietatem alteri eiusdem fundi vsusfructum, vel vnum legando alterum hæredi relinquendo, *§. 1. Inst. hic. l. omnium. 3. in princ. l. 6. ff. l. 4. C. eod.* idq; fit vel purè, & cedit ab adita hæreditate, vel ex die, & cedit vbi dies venit, *l. 2. ff. Quando dies legat. vel fideic. ced. l. vnic. §. 2. ff. Quand. dies vsusfr. leg. vbi Zasius Del Castillo. tr. de vsufr. cap. 8.*

13. Si vsusfructus vni purè, alteri conditionaliter legatus, totus ad illum cui pure legatus pertinebit, existente autem conditione inter eos communicandus est. *l. 6. §. 2. ff. de vsufr. accresc.*

14. Legatur vsusfructus coniunctim vel separatim, *l. 5. princ. ff. h. t. l. 14. ff. de vsu*

usu & hab l. i. §. 9. ff. ad L. Falcid. priori casu locū habet ius accrescendi, posteriori cessat, *l. i. ff. de usufr. accresc. l. si duob. princ. ff. Quib. mod. usufr. amitt.* Quando usufructus duobus alternis annis relictus est, is qui primo nominatus prima vice usufructum habebit, *l. 34. princ. ff. h. t. l. 24. §. 17. ff. de fideicom. libertat. l. qui soluendo. 60. ff. de heredib. instit.* Si vero eiusdem nominis fuerint, nec ex mente testatoris de prerogatiua constare possit, tunc nisi consenserint, vter eorum prior utatur fruatur, inuicem sibi impedient, *d. l. 34. princ. hic.*

15. Cum fundus non tantum in proprietate, sed & usufructu simul consistat, *l. qui usufructum. 58. ff. de verb. obl. g.* Quæritur quid iuris sit, si testator vni simpliciter fundum, alij usufructum eius legauerit? primus integram proprietatem consequitur: in usufructu vero vterque concurret, *l. 4. §. non solum de usufr. accrescend. l. si alij. 19. ff. de usufr. legat. vbi Bart. & in l. re coniuncti ff. de legat. 3. colum. 4. n. 10. Gomez. 2. resolut. cap. 5. n. 5. ibi Soarez. in annot. lit C. VV esemb. paratit. ff. de usufr. legat. n. 2.*

16. Omnium rerum fruitioni accommodatarum quas in cuiusque patrimonio esse constat, usufructus legari potest siue mobiles siue immobiles sint, *§. constituitur inst. l. omnium. 29. l. 1. Cod. hoc tit l. ff. de usufr. ear. rer. qua usu cons. l. usufructu bonorum. 69. ff. ad L. Falcid.* si legata pars bonorum, eiusque non sit specialiter facta mentio, dimidia pars continetur, *l. 43. ff. h. t. l. 16. §. 1 ff. de verb. sign.*

17. Legatum usufructus omnium bonorum vxori relictum, post eiusdem mortem alio hærede instituto, validum est, *l. vlt. Cod. de legat. Gail. 2. obs. 143 Fachin. lib. 4. controu. cap. 18.* idem dicendum, si vxor usufructuaria sit hæres instituta post mortem illius alius, qui sub ea conditione institutus censetur, si vxorem supervixerit, *l. hæres meus. 79. l. quibus diebus. 40. §. 2. ff. de condit. & demonst.* quando vxor in solo usufructu hæres instituta est, donec vixerit, nullo post mortem illius alio hærede instituto, purè instituta videtur, *l. hereditas ex die ff. de heredib. inst. ibi Gothofred.*

18. In usufructu tamen omnium bonorum legato, sicut & mortis causa donato, *l. 3. princ. l. 25. in fin. ff. h. t.* Si hæres extraneus sit, locum habet beneficium L. Falcidiae, *l. 5. l. 1. §. 9. ff. ad L. Falcid.* Filius vero siue quartam suam habeat, siue vniuersam proprietatem, pater ei quartam usufructus relinquere cogitur. *Auth. nouissima. C. de inoffic. testam. Goth. ad l. 29. ff. de usufr. Gail. 2. obs. 144.*

19. Quoniam verus usufructus non constituitur in ijs rebus quæ ipso usu consumuntur? Quasi seu improprium usufructum Senatus constituit, *§. Constituitur autem in fine. Inst. hic.* Qui ius est utendi fruendi ex Senatusconsulto rebus illis quæ usu consumuntur, *d. §. Inst. hic & tot. tit. ff. de usufr. earum rer. qua usu consum.* quales res sunt, pecunia numerata *d. §. constituitur. Inst. hic. l. 3. §. final. ff. commod.* vinum, oleum, frumentum, *d. §. constituitur.* quo in numero etiam sunt vestimenta, si eorum usufructus legetur,

• Tegetur sicut quantitatis, secus si tamquam corporis, nam hoc casu verus v-
susfructus legatus censeretur, *l. sed si quid u. §. etsi vestimentum 4. ff. h. t. Cri-
spin. in not. ad sarpè cit. §. const. inst. hic. Hænon. disp. 3. ad pandect. th. 8. lit. D.
in exeg.*

20. Verbum vsusfructus vt exprimatur præcisè non requiritur, sed suffi-
cit si quis fructus annuos fundi legauerit, *l. si quis 20. ff. hoc tit. l. 41. ff. de vsufr.
legat. Gothofr. in notis marg. ad l. 43. ff. de euictionib.*

21. Non solum per nosmetipsos vsusfructus nobis acquiritur, sed etiam
per alios iuri nostro subiectos, *tot. tit. inst. per quas pers. nob. acquir. l. 6. §. 2. ff.
de vsufr. 10. in princ. ff. de Acquir. rer. dom. vt per filiosfamilias, l. 6. C. de bon.
qualib. per seruos l. si seruo. 18. Quib. mod. vsufr. amitt.*

22. Enarratis iam modis & rebus, in quibus vsusfructus vtiliter consti-
tuitur, cum & ad vsusfructum constituendum requiratur cautio: de illa,
tractatio sequitur: rectè enim à Prætoze prouisum est, vt is cui constitutus
est vsusfructus in fauorem proprietarij, antequam eum consequatur, caue-
ret, in vero vsusfructu se vsurum boni viri arbitrato: deinde se finito vsufu-
ctu rem fructuariam quodq; inde extabit restitutum, *l. 1. in princ. ff. vsufr.
Quemad. caueat. V. Vesenb. in parat. ff. ad h. t. In Quasi vsusfructu se illo finito
rem eiusdem generis & qualitatis vel eius æstimationem refuturum, §. 3.
inst. hic. l. 2. l. 4. l. 8. ff. vsufr. earum rer.*

23. Donator tamen omnium bonorum vsusfructum sibi reseruans ad
donatarij petitionem cautionem præstare non est cogendus; quia mitius
cum eo agendum, qui ex sua liberalitate conuenitur. *Myns. 5. obs. 361. idem
obtinet in vasallo qui habet vsusfructum, hoc est, fruitionem quandam v-
tilem & plenam, Myns. d. cent. 5. obs. 36. & in patre in bonis aduentitijs filij
vsusfructum habente, l. 8. §. 4. Cod. de bon. qualib. idem iuris in fisco, quia di-
ues præsumitur, l. 1. §. 18. ff. vt legat. nom. cau. Myns. 5. obseru. 38. Gail. 2. obs. 145.
in fin. Gothofr. in not. marg. ad l. 2. C. de vsufr.*

24. Disputatur hic à Dd. An cautio fructuaria possit fieri pignoribus, an
præcisè fideiussoribus fieri debeat? posterius verius puto: quia cautio hæc
prætorica est, *l. 1. princ. ff. vsufructuar. quemad. cau. cuius naturæ est, vt fide-
iussoribus fiat, l. 7. ff. de stipulat. prator.*

25. Cautio hæc ab hærede remitti potest, *l. 51. Cod. de Episc. & cleric. l. 29.
C. de pact.* ita tamen vt remissio illa in se contineat tacitam conditionem, si
videlicet rectè vtatur fructuarius: adeoq; sibi non præiudicare illa remis-
sione, quo minus habeat ad eam regressum puto *Bach. in not. ad Treut. hic.
th. 5. lit. D. non autè à testatore, l. penult. C. h. t. in possess. legat. l. 1. Cod. de vsufr.
nam ex tali remissione præstaretur vsusfructuario occasio malè vtendi &
consequenter delinquendi *Iul. Clar. 3. recept. sentent. § Testamentum q. 64.**

26. Circa quæstionem illam difficilem: si vsusfructuarius ob paupertate-
m fideiussores inuenire non possit, quid statuendum? Variæ reperiuntur
Dd. opiniones: Quidam putant vsusfructum ipsi denegandum: alij sa-
tisfa-

fidationem esse remittendam, & ad iuratoriam cautionem admittendum. plures sententias *infr. citati Authores* recensent. De rigore iuris verius eum non esse admittendum ad iuratoriam cautionem, sed ab usufructu excludendum. Quam sententiam tamen *Dd.* ex æquitate mitigant: distinguentes, an pauper ille sit suspectus vel non: Priori casu usufructum ei non esse permittendum: posteriori verò, si non est suspectus & forte bonus colonus, vel aliàs frugi in rebus suis, usufructum absque fideiussoria cautione ipsi deberi, *Sichard. ad l. 4. C. de usufr. Gail. 2. obs. 47. à n. 4. vsque ad fin. Fachin. 8. cont. cap. 40.*

27. Hinc colligi potest cautionem non esse de substantia usufructus, *l. 1. Cod. hic.* An vero sit de substantia quasi usufructus magis dubitatur. Negatiuam quoque iuri magis consentaneam puto cum *Pinell. in l. 1. part. 2. n. 78 C. de bon. matern. Fachin. lib. 8. contr. c. 43. Gothofr. ad l. 4. ff. de usufr. ear. rer. Diff. Treutl. th. 5. lit. E. hic Hænon. d. sp. 7. ad pandect. th. 8. lit. I.* In hoc quasi usufructu distinguendum inter res, quæ usu statim consumuntur, ut sunt, pecunia, frumentum, vinum, oleum & similia. Et res quæ longo usu conteruntur, veluti vestes, vasa, & cætera mobilia: priori casu cauendum venit usufructuario hæres eiusdem qualitatis & bonitatis finito usufructu restitutum, posteriori se usurum boni viri arbitrari & res finito usufructu, prout reperiuntur, redditurum, *l. usufructus. §. si vestis. l. 1. ff. usufr. quemad. cau.*

28. Si re tradita usufructus nomine satisdatum non fuerit, hæres proprietatis rem vindicare potest, etsi ei obijciatur exceptio de re usufructuario nomine tradita, replicandum erit, & stipulatio condicenda, *l. 7. usufr. quemad. cau.* nec fructus perceptos ante exactam cautionem suos facit, nisi sciente & patiente proprietario possessionem rei fructuariæ consecutus sit, *l. 1. §. 5. ff. Quod legator.. quod hoc casu factum videtur, Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 11.*

29. Præstita cautione ex eo contractu usufructuario, datur actio ad usufructum constitutum consequendum, contra constituentem vel eius hæredem ad eum sibi tradendum, ex quo contractu is promissus est: vel si vltima voluntate relictus sit, competit actio ex testamento, *l. penult. Cod. hoc tit. arg. l. 1. §. 2. ff. si usufr. pet. VVesenb. parat. eod. n. 4.* quod si iam moram in exhibendo reus commiserit fructus vnà cum re tradere compellitur, idque tam in usufructu per stipulationem, *l. 37. ff. h. r.* quam vltima voluntate constituto procedit, *l. 46. & seq. ff. eod.*

30. Duplex igitur in usufructu constituto prodita, est actio: Confessoria & Negatoria, quæ vtraque realis est, *§. aequè. inst. de act. vbi latè Schneid. n. 2. ff. si seruit. vind. Castillo. cap. 7. tr. de usufr.*

31. Confessoria est, qua quis asserit & confitetur sibi usufructum deberi, quæ datur usufructum habenti contra impediendum in vtendo fruendo *d. §. aequè. Inst. de Act. & d. l. 2. princ. si seru. vind. & petit.* à iudice, vt declaret usufructum sibi competere, condemnetque aduersarium vt patiatur acto-

rem

rem re fructuaria uti frui, nec eum in posterum impediatur, idque cauendo, *l. vnic. Cod. uti possidet. l. 7. ff. si seru. vind. & præstando fructus perceptos cum interesse, l. 5. §. fin. ff. si ususfruct. pet. VVes. d. tit. n. 3.* hæc actio non datur proprietario, sed domino seruitutis, *d. l. princ. ff. si ususfr. pet.*

32. Negatoria actio est qua asseritur libertas fundi, & negatur ususfructus, quem quis indebitè sibi usurpat, quâ ob causam negatoria appellatur, *d. l. 5. §. fin. Si ususfr. pet.* competit proprietario contra eum qui affirmat se in re controuersa ususfructum habere, negatque aduersario uti deberi: Petitur hac actione à iudice, ut prædium pronuntiet liberum, iubeatque aduersarium præstare cautionem, ne in posterum iure seruitutis utatur, & sibi refundat id quod intere t reum re controuersa non fuisse usurpatum, *d. l. 5. ff. si ususfr. pet. l. 4. §. 2. l. 7. l. 1. ff. si seru. vind. VVesenb. paratit. si ususfr. pet. n. 6.*

33. Hoc genus actionis scilicet Negatoriæ non est proditum ad res corporales, sed incorporales tantum consequendas, *§. eque inst. de Act VVesenb. inst. ad d. §.* & qui in incorporalibus negatoriam proponit quamuis verbo neget, re tamen penitus inspecta confessoria actione agit arg. *l. 4. §. penult. & vlt. cum. ll. seqq. ff. si seru. vind.*

34. Sciendum hic est, eum cui ususfructus debetur, etiam omnia adminicula petere posse, sine quibus ei utendi fruendi facultas non daretur, *l. 1. §. 1. ff. si ususfr. pet.* usque adeo, ut si quis ususfructum loci ita leget, ne hæres cogatur viam præstare, inutiliter hoc adiectum videatur, *d. l. 1. §. 1. & seqq. Si ususfruct. pet.* inutilis tamen adiectio vitiatur, sed non vitiatur *Gothofr. ad d. l. 1. §. 1. Si ususfr. pet. Zas. ad eund. tit. circa princ.* usufructuario tamen utilis seruitutum fundo fructuario de bitarum vindicatio non competit, *l. 1. princ. l. uti fruis. §. vtrum ff. si ususfr. pet. l. 2. ff. de nou. oper. nunciat.*

35. Usufructu consecuto, quid iuris & utilitatis exinde ad usufructuarium perueniat, recensendum est.

36. Omnes omnino fructus siue naturales siue industriales siue ciuiles, qui ex re fructuaria percipiuntur & percipi possunt, ad usufructuarium spectant, *l. 7. princ. l. 9. & seq. l. 62. ff. h. t.* in urbanis prædijs omnes redditus & pensiones ex ædificijs, areis & cæteris, quæcunque ædium sunt fructuarius consequitur, *l. 9. ff. hoc tit.* in rusticis fundis vero non solum omne id quod ex illis nascitur, sed & quicquid commodi exinde percipi potest, *d. l. 9. h. t.*

37. Venationes, item aucupia ac piscationes ad usufructuarium pertinere certum est sæpe, *cit. l. 9. §. aucupiorum, s. ff. h. tit.* nec solum in fundo sed etiam in saltibus & montibus usufructuarium ius venandi habere textus docet *in l. 62. princ. ff. h. t. l. 26. ff. de usur.* Quod ius venandi priuatis à superioribus plerisque in locis ademptum sit, experientia testatur. An autem iure factum antehac disputatum est; aliàs negatiuam amplector.

38. Non efficitur tamen dominus fructuum antequàm eos ipse vel eius nomine alius perceperit, *l. arboribus, 12. §. vlt. ff. eod. l. 25. §. 1. versic. cum fructuarij. ff. de usuris. Schneidvv. ad §. constituitur inst. h. t.* fructus maturi, sed

nondum à solo separati, mortuo usufructuario non heredibus eius sed domino proprietatis acquiruntur, §. *Is verò*. 36. *Inst. de rer. diu. d. l. arboribus. ff. h. t. l. 3. Quib. mod. vsufr. amitt.*

39. An idem in fructibus civilibus videlicet annuis pensionibus obtineat, elegans quæstio est, ita vt mortuo fructuario ante terminum solutionis nihil ad hæredes ipsius perueniat. Quod negandum, sed pro rata temporis ad hæredem fructuarij pertinent, arg. *l. 32. §. hered. 7. & l. 9. §. 1. ff. locat. Bach. in not. ad Treut. disp. de vsufr. th. 8. lit. D. Gail. 2. obs. 10. n. 3.*

40. Quando in fundo fructuario lapidicinæ, cretæ, vel cuiuscunque generis metalli fodinæ reperiuntur, ijs usufructuarius vti poterit, *l. 9. §. 2. ff. h. t.* imò venas auri & argenti, æris, ferri, sulphuris, quas proprietarius instituit exercere, vel ipse aliàs inquirere potest, *Del Castillo. tr. de vsufr. cap. 37. n. 6. 7. & 9.* ne tamen agriculturæ damnum inferant, *l. 13. §. inde quasitum est. 5. ff. hoc tit.* aut coelum agri corrumpant, aut tantos sumptus desiderant quos proprietarius post mortem usufructuarij sustinere non posset *d. l. 13. §. 6. ff. hic.*

41. Hæc de iure digestorum tantum procedere videntur, non verò de iure nouissimo, quo metalla numerantur inter regalia *cap. 1. quæ sint regal. in vsib. feud.* quæ superioribus concessa sunt: non tamen tota metalla eorum sunt, qui regalia habent, *l. 3. Cod. de metall. r. Schneid. ad §. constituitur inst. hoc nostro. tit.* Sed quoad decimam partem fodinæ metallorum *odee Bergwerck* inter regalia computantur in priuatis locis inuentæ, *Schneid. in epitome feud. part. 2. n. 106.* Si in publicis locis reperiuntur indistinctè inter regalia computantur. *Schneid. d. loco.*

42. De thesauro in fundo fructuario reperto inter doctores disceptatio est. Nos dimidiam partem usufructuario, alteram dimidiam domino proprietatis acquiri existimamus, *l. si is qui in aliena. ff. de acquir. rer. dom. n. §. thesaurus. 40. inst. de Rer. diuis. vbi Myns. & Schneid.* Si ab extraneo inuentus sit, inter inuentorem & usufructuarium diuidendus est.

43. Usufructu constituto in pecoribus & iumentis, foetus, lac, pilus, lana, & si quæ sunt alia, ad fructuarium perueniunt: Partum verò ancillæ quod attinet, illum domino proprietatis libens relinquo *l. vetus 68. ff. h. t. §. in pecudum 38. inst. de rer. diuis.*

44. Earum rerum, quæ per alluionem fundo accreuerunt usufructus ad fructuarium spectat, non vero insulæ iuxta fundum in flumine natæ *l. item si fundi 9. §. 4. ff. hoc tit.*

45. Inter commoda quæ usufructuarius habet, illud non est minimum, quod vsum fructum alijs vendere, locare, vel fruendum concedere possit, *l. arboribus 12. §. 2. & seq. ff. h. t. §. 1. inst. de vsu & habitat. l. 38. & seqq. ff. h. t. Treut. hic. th. 10 lit. A. Schneid. ad §. constituitur. inst. hic.* potest illum in dotem dare. *l. 57 ff. solut. matrim. l. 66. & l. 78. §. 1. ff. de iure dotium, oppignorare. l. 9. §. 1. ff. de pignor. & hypoth. etiamsi proprietarius contradicat, l. 67. ff. h. t.*

46. Licet usufructuarius iure possit locare vsumfructum, eo tamen mortuo proprietarius non tenetur conductorem in conductione permittere vsque ad finem locationis. *l. si domina proprietatis. & ibi Bart. Cod. hoc tit. Causalcan. in tr. de vsufr. mulieri relicto. pag. 646. q. 176.*

47. An verò vsumfructum usufructuarius alteri cedere possit anxie à Dd. disputatur? Proprietario cedere illum posse certum est. *§. finitur. inst. hic.* non tamen extraneo. *d. §. finitur. l. 66. ff. de iure dotium. Hun. & Bach. in notis ad Treutl. hic. th. 10* cedendo autem extraneo, usufructu non priuatur, *Vvesenb. paratit. ff. Quib. mod. vsufr. amitt. Anton Matt. ad §. finitur. inst. hic idē in colleg. Inst. reform. disp. 4. th. 16. Diss. Gomez. 2. resol. cap. 15. n. 17. Treut. hic. th. 14. lit. E. in exeg.*

48. Seruitutem usufructuarius fundo imponere nequit, *l. 8. ff. com. prad.* Quod domino proprietatis, modo exinde conditio usufructuarij non efficiatur deterior, licitum est, *l. 15. cum l. seq. ff. h. t.*

49. Non suo, sed procuratoris nomine usufructuarius extraneo nouum opus nuntiare potest, aut ab eo qui nouum opus facit vsumfructum vindicare, *l. 1. §. usufructuarius. vlt. ff. de Nou. oper. nunciat.* dominus proprietatis autem, si nouum opus fecerit, quo vsufructus deterior reddatur, hunc ab eo petere poterit, *l. 1. §. vlt. cum l. seq. ff. de nou. oper. nunt.* Simili modo usufructuarius ædificium in fundo non tantum inchoatum perficiendi, sed etiam nouum ad percipiendos fructus necessarium extruendi potestatem habet, *l. 13. §. 6. l. 73. ff. h. t.*

50. Visis commodis qualia onera usufructuarius pro ijs sentiat perstringendum, est enim secundum naturam eum quoque sequi incommoda cuiusque rei, quem sequuntur commoda, *Inst. de legit. patron. tutel. l. 10. ff. de R. I. l. vlt. §. 3. Cod. de furt.*

51. In primis autem cogitur fundum fructuarium rectè colere, *l. item si fundi. 9. ff. h. t.* ædes suis sumptibus reficere, vt eas fartas tectas habeat, *l. 7. §. 2. & 3. ff. l. 7. Cod. h. t.* Seruum cuius vsumfructum habet vestire, alere, & valetudinis impendia ei præstare *l. 15. §. 2. l. 45. ff. eod.* Si quæ seruitus fundo imposita est, eam usufructuarius sustinere necesse habebit, item onus viæ refectionis, vel si quid propter aquæductum impendatur, *l. 27. §. 3. & 4. ff. h. t.*

52. In locum demortuarum arborum aliæ sunt plantandæ, *l. 18. ff. h. t.* non autem vi tempestatis euersarum, *l. 59. ff. eod.* in locum capitum demortuorum vel inutilium alia ex foeto ab usufructuario submittenda, *§. sed si gregis. 39. Inst. de rer. diuis. l. vetus. 68. §. vlt. & ll. seq. ff. R. I. Cuiac. lib. 11. obs. 36* quod eatenus verum, si quis vniuersitatis vsumfructum habet, secus si singulorum capitum, *d. §. sed si gregis. Inst. de R. D. l. quid ergo 70. §. 3. ff. h. t. Schneidvv. ad cit. §. Inst. de R. D. Gomez. tom. 2. resol. c. 15. n. 7.* Si ex grege fructuario editos foetus non habeat, aliunde petere non est cogendus, *d. l. 70. §. 4. ff. hic. l. plerumque, 10. §. sed foetus. 3. ff. de iure dot. Myns. ad d. §. 39. inst. de rer. diuis.*

53. Vectigalia & tributa, tam ordinaria & consueta, l. 7. §. 2. l. 52. ff. h. t. l. 13. ff. de impens. in res dot. fact. quam quæ extra ordinem fundo imponuntur, vt collectæ & superindicta, hoc est, Schagung vnd Steuern/ vsufructuarius persolvere tenetur Schneid, ad §. constituitur, num. final. inst. h. t. l. 28. ff. vsufr. legat. vbi Bart. d. l. 13. de impens. in res dot. fact. Sicuti & legata annua ex redditibus legatario præstanda veniunt, l. final. §. 4. versic. Sin autem legata. Cod. de bon. quælib. Gail 2. obs. 146. in fine.

54. An vero vsufructuarius omnium bonorum vel heres proprietatis debita defuncti solvere teneatur controuersum est: hæredi, & non vsufructuario onus satisfaciendi creditoribus incumbere verius est, l. 1. Cod. si cert. pet. l. 2. C. de hereditar. act. Couarr. tom. 2. var. resol. lib. 2. cap. 2. n. 4. Caualecan. tract. de vsufr. mulieri relict. quæst. 211. Fachin. 4. Contr. cap. 19. Diff. Bart. in l. fin. n. 5. ff. de vsufr. legat. hæres tamen sibi prospicere poterit, & priusquam legatario, cui vsufructus omnium bonorum relictus est, res fructuarias tradat, à bonis mobilibus incipiendo, quæ si non sufficiant, etiam immobilia distrahendo, creditoribus satisfacere, residua vero vsufructuario tradere debet l. vsufructu bonorum. 69 ff. ad L. Falcid. Gail. 2. obs. 146. n. 7. Couarr. cit. loc. qui addit nisi probabiliter aliud ex testatoris voluntate deducatur, quæ exactè seruanda.

55. In vsufructu per contractum inter viuos constituto nõ tenetur, nec potest conueniri vsufructuarius ad soluenda debita proprietarij, antea contracta, l. is autem. ff. de edendo. l. penult. Cod. de obl. & Act. Gomez. tom. 2. resol. 15. num. 8.

56. Proprietarius sine consensu & voluntate vsufructuarij proprietatem vendere vel alienare potest, l. locum. 17. §. proprietarius. ff. l. 2. C. hoc tit. l. fundi 28. ff. de vsufr. leg. Excepto filio in bonis, in quibus pater vsufructum habet, quæ filius sine voluntate & consensu patris alienare non potest, l. final. §. 5. versic. filiis autem famil. Cod. de bon. quælib. Melius enim est (ait text.) coarctare iuueniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium.

57. Filiusfamilias si perpetravit delictum, propter quod bona veniunt confiscanda, non attentis legibus & Dd. contrariantibus, verius existimo proprietatem bonorum aduentitiorum filij, in qua pater vsufructum habet, non esse confiscandam propter l. final. §. 5. versic. si ñs autem. C. de bon. quælib. Gomez. d. loco. n. 14. Fach. lib. 9. contr. cap. 47. in eo quoque dissentiunt interpretes: An ob delictum à parente commissum propter quod bona eius confiscantur, confiscari possit vsufructus legalis in bonis aduentitij filij? Affirmantium sententiam sequor, l. si postulat. erit. 27. §. iubet. 11. ff. ad L. Iul. de Adulter. eleganter Gomez. d. tom. 2. var. resol. c. 15. n. 18. Distinguit Fachin. lib. 9. contr. c. 50.

58. Ad finem huius materiæ accedendo posteriori loco quibus modis vsufructus constitutus amittatur & finiatur expediendum est, secundum re-

gulam vulgarem: quod priuatio præsupponat habitum, §. *seruus. 4. inst. de cap. dim. in l. 208. ff. de R. I.* certis enim modis vsumfructum extingui & amitti, ne proprietates nobis semper inutiles esse appareant abscedente vsumfructu, indubitati iuris est, §. *1. versu. ne tamen inst. l. omnium. 3. §. 2. l. 5. ff. de vsumfruct.*

59. Finitur autem vsumfructus varijs modis, vel ex persona fructuarij vel ex re fructuaria, vel conso. idatione cum proprietate: ex persona vsumfructuarij principaliter eius morte naturali, §. *finitur. inst. hic. l. 3. §. fin. ff. Quib. mod. vsumfr. amitt. l. per ult. C. h. t.* quod verum manet etiam si ab i. so. ius vtendi fruendi, venditione, vel alio quouis modo in alium translatum sit, *l. 8. §. eum vsumfr. vlt. ff. de peric. & com. rei. vend. pu. chrè Pinell. in tr. ad l. 1. C. de bon. matern. part. 3. n. 40.* ita vt morte secuta ius illud vnà cum persona extinguatur *d. ll. nisi à testatore expressum sit, vt vsumfructus quoque ad hered. vsumfructuarij perueniat: & quamuis aliàs in iure nostro heredis appellatio, non tantum ad proximum heredem: sed etiam ad vltiores referatur, l. heredis appellatio. 65. ff. de V. S. l. 22. C. de legat. hoc casu tamen ad primum non etiam vltiores pertinet, l. Antiquitas. 14. C. h. t. Gomez. 2. var. resol. 15. n. 20.* Hoc modo constituitur nouus vsumfructus, ideoque de nouo heredi præstanda est cautio, *repeti 5. princ. ff. h. t. Schneid. n. 3. Myns. n. 2. ad §. finitur. inst. hoc t. t.*

60. Præter mortem naturalem etiam morte ciuili ipsius vsumfructuarij extinguitur vsumfructus, puta maxima & media capitis diminutione. §. *finitur. Inst. hic. l. 1. l. 3. ff. quib. mod. vsumfr. amitt. l. corruptionem. 6. Cod. de vsumfr. de iure veteri etiam minima, l. 3. ff. h. t. VVesenb. par. ff. hic. n. 2.* cum hodie banniti, olim deportatis comparentur & ferè deterioris conditionis sint illos quoque vsumfructum amittere statuendum est, *d. l. corruptionem 6. §. final. C. h. t.* quomodo nostri temporis banniti olim deportatis comparentur: vide *Gail. lib. 2. de pace publ. cap. 1. num. 24. Bart. in l. amissione. §. qui deficiunt. ff. de cap. dim. & in l. 1. n. 3. C. de heredib. inst. t.*

61. Porro vsumfructus ad certum tempus constitutus, illo præterito finitur, vel etiam ante illud si vsumfructuarius mortuus fuerit *l. antiquitas C. h. t. l. 5. ff. eod. certa conditione relictus illa existente perit d. l. 5. ff. hic l. 16. §. ff. famil. herc. sc. huius occasione Dd. querunt: Si mulieri sub ea conditione vsumfructus relictus sit donec castè & honestè viuat. An ad secūda vota transiens eum perdat; quòd negandum cum *Bart. in l. mulier 22. §. cum proponeretur 4. h. t. ff. ad S. C. Tr. bell. Sichard. ad l. vnic. n. 3. C. Si secundo nups. mulier. Treutl. hic th. 15. lit. D. dis. Couarr. Tom. 1. de matrim. part. 2. cap. 6. §. 8. n. 28.**

62. Finitur deinceps vsumfructus non vtendo per modum & tempus §. *finitur inst. hic l. placet 25. ff. eod.* per modum, si vsumfructuarius illum sibi à lege vel constituyente præscriptum non obseruat: per tempus verò, qui eo planè non vtitur: quod olim in immobilibus fuit biennium, in mobilibus annus *l. 16. C. de vsumfr. hodie decennio inter præsentis, vicennio inter absētes tam in rebus*

rebus mobilibus, quàm immobilibus id accidit *l. penult. de seruitut. & aqua Schne d. ad. § finitur inst. hic n. 7.* Secus est in usufructu alternis annis legato, qui non utendo non amittitur, *l. 28. ff. Quib. mod. vsufr. amitt.*

63. Quamdiu usufructus Ecclesiæ, ciuitati, collegio vniuersitatiuè relictus duret scrupulum alicui mouere posset, cum non moriantur, nec facile capite minuantur per centum annos; quia is finis vitæ longæui hominis est, talem usufructum durare, legibus determinatum est, *l. 5. ff. de vsufruct. l. 8. ff. de vsufruct. legat.* aliquando tamen accidit, vt usufructus ciuitati relictus ante illud tempus expiret quasi capitis diminutione, si videlicet aratrum in eam inductum, vel planè euerfa sit, *l. si usufructus ciuitati. ff. h. t. eleganter Gothof. in not. ibid.* vel etiam non utendo, *l. Meuius 66. §. fin. ff. de legat. 2.*

64. Vtteriùs interit interitu totius rei fructuariæ *princ. inst. l. 2. ff. eod. si pro parte tantum perierit*, integer retinetur usufructus, *l. si cui insula 53. ff. de vsufruct. & mutatione*, si res in aliam formam mutata sit, ve'uti si in locum ædium dirutarum vel exustarum nouum ædificium factum, vel de nouo in aream fructuariam domus posita *Castillo tr. de vsufr. cap. 72. n. 22. & seq. ve' ex massa relicta sint vasa facta*; plures mutationis casus extant, *in li. repetit. 5. §. rei mutatione. cum ll. seqq. vsque ad l. 13. ff. quib. vsufr. vel vsufr. amitt. villa diruta usufructus fundi manet, l. quid tamen in princ. ff. Quib. mod. vsufr. amitt. Hæn. disp. 10. ad Reg. Iur. in l. 129 §. 1. in fin.*

65. Fundum fructuarium inundatione perditum aqua discessa recuperamus, *l. si ager vsufr. 23 ff. quib. modi vsufr. amitt.* eodem modo si ager ab hostibus occupatus seruusvè captus liberatus fuerit, iure postliminij usufructus nobis restituetur *l. 6. ff. eod. ibi Gothofr.*

66. Cessione domino proprietatis facta, cessat usufructus, *§. finitur. in st. hic. l. si vsufr. 66 ff. de iure dot.*

67. Denique finitur consolidatione quando proprietarius usufructum vel contra usufructuarius proprietatem casu aliquo adsecutus fuerit, *l. si tibi fundum. ff. quib. mod. vsufr. amitt. l. idem. 6 ff. de vsufr. ad cresc. Crispin in not. marg. ad §. finitur inst. h. t.*

68. Quasi usufructus duobus saltem prioribus modis finitur, morte videl. naturali & capitis diminutione, *§. constituitur. circa fin. inst. h. t. l. 7. l. 9. ff. de vsufr. ear. rer.*

DE VSU.

69. Absoluta prima seruitute personali scil. usufructu, succedit altera, quæ vocatur vsus & definitur: ius alienis rebus vtendi salua earum substantia *l. 2. ff. de vsu & habit. t.*

70. Constituitur & finitur iisdem modis quibus vsufr. *l. 7. ff. & princ. inst. de vsu & habit.* vnde mortuo vsuario, vsus ad heredes eius non transit *d. 2. ff. de vsu & hab.* quemadmodum quasi vsufr. ita etiam quasi vsus constituitur in ijs rebus quæ ipso vsu consumuntur *l. 5 §. vlt. ff. de vsufr. ear. rer.*

71. Cautio quoque de re fructuaria rectè vtenda, & extincto vsu restituen-
tuenda vsuario cum vsufructuario communis est *d. l. 5. §. 1. & 2. l. 7. ff. de v-
suf. ear. rer.*

72. Quamuis vsus multa cum vsufructu communia habeat, tribus tamè
potissimùm modis ab eo differt: Primò quod vsuarius tantùm vtatur, non e-
tiam fruatur *d. l. 2. princ. ff. h. t.* vtitur autem qui ad suas necessitates rem v-
surpat *inst. h. t.* qui fruitur etiam vtilitatem & lucrum consequitur *§. 1. & 2.
inst. h. t. l. 9 & passim ff. de vsufr.* Hoc loco Dd. querunt, si alicui vsus ædium re-
lictus sit: An alios ad se habitandi causa recipere possit? vxorem, liberos, ser-
uos interdum etiam hospitem ad se recipere posse à iure non abhorret *d. l.
2. §. sed etiam & l. 4. ff. h. t.*

73. Idem tenendum si vsus ædium mulieri datus sit ea conditione si à viro
diuertisset; tum nihilominus ipsa cum marito ibi habitare poterit *l. 8. §. 1. ff.
h. t.* reiecta turpi conditione *l. reprehendenda C. de inst. & substit. mulieri ta-
men non aliter hospitem recipere licebit, nisi sit talis, qui honestè cum ea ha-
bitaturus sit l. non aliter 7. ff. h. t. Schneid. ad hunc tit. n. 12.*

74. Secunda differentia exinde relucet, quod vsuarius ipse tantùm re vti
non alij eam gratis vtendam concedere, locare vel vendere possit *§. 1. 2. & 3.
inst. hoc tit. l. 8. princ. l. 11. ff. eod.*

75. Tertio differunt vsufructus & vsus, quod ille sit diuiduus, hic verò
indiuuiduus, & pro parte constitui nequeat *l. 19. ff. h. t. vide Goedd. in l. 25. n. 18. ff.
de V. S. in vsu igitur minus est quàm in vsufructu §. 1. institut. h. t. l. 10. §.
vlt. ff. eod.*

76. Deinde vsufructuarius tenetur modicas impensas solus facere, vt
farta tecta habeat: sed si vsus domus legatus sit sine fructu, æqualis est refe-
ctio heredis & vsuarii, si verò proprietarius nullum commodum percipit
ex re in vsum alteri constituta, vsuarius solus reparabit *l. si domus 18. π. h. tit.*

DE HABITATIONE.

77. Superest tertia seruitus personalis scil. Habitatio quæ est ius seu fa-
cultas habitandi in ædibus alienis salua illarum substantia *Myns. & Schnei-
devv. ad §. sed si cui habitatio inst. h. t.* ea neq; vsufructus, neq; vsus sed pro-
prium aliquod ius est *d. §. sed si inst. hic.*


78. Conuenit habitatio cum vsufructu, & vsu simul in constituendo &
finiendo, *l. 10. ff. h. t. l. 13. Cod. de vsufr. & habitat.* cum vsufructu specialiter
conuenit, quoad locationem, *d. §. sed si cui inst. h. t. d. l. 13. C. de vsufr. & quo-
ad commodatum, l. 1. §. 1. in fin. ff. commod.*

79. Ab vsufructu & vsu differt in eo quod interueniente capitis diminu-
tione perseueret, neque non vtendo non amittatur, *d. l. si habitatio 10. princ.
ff. h. t.*

80. Quandoquidem habitationis idem ferè ius est cum vsufructu & vsu,
d. l. 10. ff. h. tit. & l. 13. Cod. de vsufr. hæc paucula de ea dicta sufficiant.

81. Coronidis loco quæritur? An ingrediens monasterium vsufructum
amittat: quod distinguendo inter monachos affirmari potest.

F I N I S.







X 2874408

94 A 7386

VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



DECIMASEXTA

PUBLICI,

IVTIBVS

ALIBVS:

, VSV ET
ONE.

nte,

BVS

imis Viris, ac DD.

NO, I. V. Doctore, &

, SS. LL. Licentato,

ore & Fisco.

Collegio Iuridico publicè
proponit

Marcò Westph.

1629.



RIPPINÆ,

, prope Augustinianos.